Victor comes

Othmarum sanctum virum a Victore Retie Curiensis comite impetrauit. eique cellam prefatam cum omnibus ad eam pertinentibus commendauit. Abbatemque constituit. vt in vita ipsius plenissime continetur. Postea vero tempore procedente atque statu monasterii in melius proficiente prefatus Waltramus eundem abbatem Othmarum Pippino regi presentauit. Ipsique regi monasterium quod adhuc hereditario iure in sua tenebat potestate cum ipso pariter abbate contradidit. Ea videlicet causa ut ipse abbas eiusque successores idem monasterium regia auctoritate retinentes. nullius deinde violentiam paterentur. sed tantummodo regum iussionibus obediret. Quod beniuolus princeps benigne suscipiens. statim huius cause conscriptionem fieri precepit. scilicet ut monachi eiusdem loci deinceps potestatem haberent abbatem eligendi sibi atque solis tantummodo regibus subiaceret. Quam conscriptionem sue auctoritatis signaculo confirmauit. atque abbatem ipsum in sua remisit. Qui idem monasterium per annos xl feliciter rexit. Waltramo predicto xx annis solatium illi prestante. Postea vero ob quam causam et quando et qualiter idem abbas a Warino et Rudhardo exilio dampnatus ad perpetuam sit coronam perductus in libris vite ipsius qui scire desiderat plenius digesta reperiet. Post hec vero Sidonius constantiensis presul qui et monasterium quod Owa nominatur in sua potestate habebat. Instigantibus prefatis comitibus cepit in querere monasterium nostrum et in potestatem episcopatus redigere. Quibus ut illi solatio essent beneficia promisit atque donauit. Warino videlicet Vina et Tuckinga et Engi. Rudhardo vero Antolunga et Uzzinhaha. Wilcom autem aduocato ipsius monasterii ut illi solatium subtraxisset. sextam villam que Heimbach nuncupatur contradidit. Quam obrem prefatus Sidonius quod nequiter cepit auxiliantibus iniquis principibus pessime ad suum ut postea res docuit dampnationem perfecit. monasteriumque ipsum in ius episcopatus redegit. Igitur predictus episcopus fratres in monasterio beati Galli multis iniuriis preaffitiens quadam die cum maioribus ibi si aliqui essent sibi contrarii afflicturus calumniis monasterium turbolentus ingreditur. et cum ante confessionem sancti Galli quasi oraturus constitisset. quid in mente habuerit proruptio corporis et illuuies ventris ut in vita sancti Galli scriptum est manifestauit. quod redundante supplicio ad Owam platus de cloaca corporis vitam exalauit plenam miseriis.

De Johanne episcopo et abbate

Cap. 3

Post cuius obitum Johannes monachus Augensis constantie episcopus ordinatus amborum regimen suscepit cenobiorum. Qui tres nepotes suos educauit. quibus honorem suum inter illos locorum situm post suum discessum distribuere cogitauit. Quo agnito fratres vtriusque cenobii episcopum pariter adierunt. rogantes ut priuilegia eis apud principem acquireret. ac potestatem eligendi abbates. Se vero si hoc fieret eosdem illius nepotes sibi abbates electuros polliciti sunt. Quod ille consensit. ac se facturum promisit. Tempore vero transacto Karolus rex cum Hildigarda coniuge sua Romam proficiscens Constantiam aduenit. Tempus vero opportunum se inuenisse existimantes vtriusque monasterii fratres pro predicta necessitate principem adeunt. eiusque clementiam interpellant. Rex vero episcopum quid de hoc illi placeret interrogauit. Episcopus autem eterne beatitudinis gaudia illum exinde percepturum respondit. si talem et tantam securitatem famulis Christi absque vlla perturbatione domino seruiendi concederet. Quod audiens rex gauisus est. et pariter vtriusque cenobii fratribus sancti Galli scilicet et Augensis firmissima auctoritate priuilegium optatum contradidit. Ac scripta emunitatis adherere eadem retinenda fieri precepit. Que sigillo sue auctoritatis firmauit. constituens atque precipiens ut post mortem episcopi monachi predictorum monasteriorum potestatem haberent sibi eligendi abbates. et ut nullis absque regibus deinceps essent subiecti. Fratres igitur leti redierunt in sua. Episcopus autem cartas vtrorumque quas rex fieri precepit secum retinuit. Cum igitur idem presul finem sibi presentis vite cognosceret imminere. assumpta Augensium fratrum carta ad ipsum monasterium deuenit. Cartam autem fratrum de monasterio sancti Galli in scriniis constantiensis ecclesie dereliquit. eo quod noluissent nepotem illius sibi in abbatem sicut pridem promiserat eligere. Censerat enim cartam a rege datam multum esse deprauatam et multo aliter quam rex iuberet. et res eorum indigeret esse conscriptam. Idcirco nepotem illius sibi abbatem eligere neglexerant. Similiter autem et fratres alterius monasterii fecerunt. Postquam igitur prefatus episcopus vita excessit Augenses quendam senem presbyterum et monachum nomine Petrum sibi elegerunt

Karolus rex

H